BENEVOLO ET CORDATO
LECTORI BIBLIOPOLA

ζᾶν ἢ θεᾶν!

EN Tibi nodulos ex tiliis Pindi Philyrei cum Centaurio ad artis regulas nova plane methodo compositos. En rosas, non quidem quas Hierichuntinus dedit agellus, sed ex viridibus Æsculapii areolis medicum in usum decerptas, per alembicum destillatas. En caryophylla ex amœnissimis Tempe Lipsiensibus, olera varia succulenta & maximè salubria ex seminario ETTMULLERI florentissimo; aut cramben, si mavis, bis quidem & iterum appositam hic & recoctam, non tamen eo consilio, ut miseros occidat Magistellos, sed ut inde, tanquam ex fructu arboris vitæ, comedant & vivant. Tribus & clarius: Offero Tibi Excell. ETMULLERI b. m. Opera medica omnia tertium recusa. Nondum omnia dixi, satis nihilo secius, quod ad rem, dixi. Sive enim conatum meum spectes, dubio procul laudabis & plaudes, sive nomen Viri audieris, venerabundus assurges; Viri, inquam, si non omnibus in professione sua superioris, saltem nulli secundi, quem, donec in vivis esset, admirata fuit Italia, invidit nobis Gallia, stupuit Iberia, sibi exoptasset adoptassetque magna Britannia, exosculata fuisset Suecia & quicquid est Septentrionis. Soli Germaniæ matri tam licuit esse beatæ, ut tantum reconditioris eruditionis monstrum & gigneret, & aleret, & blande in Misnensi sinu suo foveret, quemque adeo præmaturo fato ereptum Misniæ ocellum Lipsia acri planctu deplorat, molliterque intra viscera sua tanti Machaonis quiescentia ossa tantum non adorat. Vere perfectum & omnibus numeris absolutum Medicum, quem, donec superaret, vivam & portatilem bibliothecam meritò dixisses, in cujus cerebro, tanquam pensiles Semiramidis horti in aere, justo æquilibrio trutinatum pensitatumque est, quicquid vel abstrusi natura, vel arcani creatura unquam in se possidet, in cujus syncipite, vel, si mavis, occipite, tanquam in libro universam Medicinam, & quicquid est medici apparatus, accuratè depicta, alte infixa atque insculpta, & ad vivum delineata advertisses. Sed & frontem intuitus Tabulam putasses, in templo Æsculapii olim appensam, nunc quasi sanctissimas reliquias in Germaniam transportatas, ut exinde devoti Medicinæ cultores & morborum causas penitissimè cognoscant, & præsentissima remedia, queis mille malis obviam tutò eundum, solide perdi-

ſcant. Ora taceo, è quibus ceu ex Delphico oraculo ſaluberrima conſilia & quaſi ex Pythio tripode dicta ſive diſcendi ſive deliberandi animo accedentibus nunquam non prodiere. Quæ autem manu ſcripta nobis reliquit, Sibyllinis merito foliis rariora & chariora nobis ſunto, tam polita nimirum, terſa, caſta, accurata, ut non niſi è cœlo dicta utique videri queant.

Nec mirum eſto, ex tam fertili cultoque ingenio præſtantiſſimos etiam fœtus excluſos; utut enim aliàs plerumque Heroum filii noxæ, nihilominus ſicuti, Poeta autore,

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam:

Ita ex ingenio ETTMULLERIANO, quemadmodum ex Jovis olim cerebro Minerva, proſilierunt non alii partus, quam tanto parente digni. Imo ethnico illi Jovi palmam præripuit noſter, quod non Vulcani opus habuerit malleo, quo difficile diffringeretur præſcinderetur-que cranium; ſponte omnia, nec invita, quod dicitur, Minerva enata ſunt omnia, tamque facilis fuit partus atque Ebræarum in Ægypto mulierularum, quas enixas Sacræ ajunt Pandectæ, antequam adjutrices obſtetrix admoverit manus.

Nolim ſuſpiceris, Lector, vanas has conjecturas eſſe, à me excogitatas, hoc conſilio, ut libro meis impenſis procurato fictis elogiis gratiam conciliem, emptoribus ſalivam moturus, ſicut agyrta ſolet, qui

Laudat venales, cum vult extrudere, merces.

Minimè gentium. Nec vino huic generoſo ſuſpenſa opus erit hedera. Et Pollicem mihi premunt omnes cordatiores Philiatri, qui vel ſcripta Viri unquam legerunt, vel quibus datum olim fuit, viva Titanis hujus medici voce fingi ac formari. Ipſi Actorum Erudit. Lipſ. Collectores & librorum cenſores æquiſſimi Menſ. Jul. A. O. R. 1685. p.m. 341. ſeq. album calculum addere prorſus non addubitant, quorum teſtimonium nobis inſtar omnium eſſe poterit.

Hinc eò facilius quoque adductus ego, inſignia taliſmodi opera in unum Volumen collecta, pro meo in egregium publicum (abſit invidia dictis) ſtudio, edere inſtitui olim; ſed accidit mihi fere, quod ſolet Pharmacopolis, qui ſalutares herbas per latè patentia prata, per valla & montes, per ſilvas & maria, per vepreta & arboreta ſolerter licet indagantes, ægre nihilominus inveniunt. Quæ enim typis publicè proſtabant, erant pauciſſima, præterque ejus Chymiam Rationalem & experimentalem curioſam, Medicum Theoria & Praxi generali inſtructum, & aliquot diſputationes erudito orbi nihil innotuerat. Adornavit quidem Lugdunenſe prelum Anno 1685. Volumen in 4. ſub titulo: Michaelis Ettmulleri, Phil. & Med. D. Opera omnia; ſed mendoſum titulum

lum fuisse, eoque egregie deceptos emtores, præsens nostra facile docere potest editio. Nec enim omnia, sed ne pleraque quidem ibi exhiberi vides, eaque adeo corrupta, inconcinna, deturpata, inversa, ut si vel maxime diu lambas fœtum hunc & relambas, tanquam catulum ursus, nil tamen ETTMULLERIANO genio par aut simile invenies. Tantum etiam abest, ut Venetam editionem pro genuina sobole agnosceret B. Autor, ut potius ceu spuriam omnibus modis rejiceret, quippe ita adulteratam & ineptam, ut timor sit, ne mortuo Leoni huic, nil tale merito, olim insultent Lepores.

Ergo ut voti compos redderer, etiam nondum edita & manuscripta, ingenti licet sumtu, colligere cœpi, hinc inde per eruditum orbem dispersa, & intra privata B. Viri quondam Auditorum scrinia delitescentia, situ squaloreque obducta, & jamjam computrescentia. Sæpe gallus gallinaceus, de quo Utopiæ polyhistor lepida memorat, imitandus & margaritæ è fimeto conquirendæ & laceræ pagellæ, instar membrorum Virbii, passim ex pulvere Scholastico eruendæ fuere. Quæ omnia Illustr. Dn. Georgio Franco, Med. D. t. t. Prof. Prim. & Universitatis Heidelb. Pro-Cancell. &c. corrigenda, limanda, ordinanda commendavi. Cujus solertia & ingenti studio elegans satis procurata fuit editio, quæ ab omnibus summo cum applausu avide appetita, & exemplaria brevis temporis intercapedine distracta sunt.

Desiderio interim & voto tot ambientium adhuc procorum satisfacturus novam hanc editionem meditari coactus sum. Et quamvis jam laudatæ priori ultra crepidam sapientis sutoris modulo opus non fuerit, quo dimetiatur istam sciolus, nondum tamen omnia adeo limata esse potuerunt, ut cultro anatomico amplius non egerent. Cum enim homines simus, à quibus humani nil alienum, Illustr. prioris Editionis concinnator sex mensium spatio omne curvum complanare nequivit, & quemadmodum summus per hexaemerum architectus, confusissimum chaos adeo sapienter disponere, ut ne Momo quidem, quod vere reprehenderet, relictum fuerit. Quamvis item nuper in offerentium verba facile jurassemus, nos omnia Beati ETTMULLERI opera isto volumine exhibuisse, nihilo secius successu temporis plurima ad nos delata sunt, quæ antea ignorabantur, & forte interiissent, ni præsenti operi in tempore insererentur.

Quare rogavimus Excellent. Dn. Joh. Casp. Westphalum, Med. Doct. celeberr. & Practicum felicissimum Acad. Curios. collegam benemerentissimum, ut quoniam B. Autoris quondam sedulus auditor, reliquiarumque ejus solers indagator & compilator extiterit, &, ut ajebat, omnia opera Mssta secum haberet, nobis in concinnanda methodicè & perfectè hac editione, adjutrices manus porrigeret, qui petito nostro facile assurgens, pro ea qua est dexteritate & eruditione, in Dei gloriam, Reipublicæ medicæ commodum, ad conservandam defuncti Præceptoris

ris famam in ſeros poſteros tam candide omnia communicavit, ut ſingula hic fideliter exhibita, recenſita, & ad autoris mentem emendata dubium amplius non ſit: Adeo enim omne excuſſit ſcrinium, ut præſens editio prioribus duplo auctior, accuratior, correctiorve proſtet, & ob contentorum cumulum in duo volumina digerenda fuerit. Quo ipſo perfectum ſe probavit Anatomicum, qui non modo membra corporis ſcite reſcindere, ſed reſciſſa quoque & diſſipata rurſus in ordinem redigere, & unicuique ſuum locum aſſignare didicit. Examina quæſo præſens ſceleton, & judica, & ſi dixi quod res eſt, Excellentiſſimo Viro mecum debitas offer gratias.

Sed & æqui conſule, quod his nundinis Prius ſaltem Volumen exhibeamus. Quamvis enim pedibus manibuſque anniteremur, ut integrum opus ſiſteremus, per temporis tamen penuriam & prela alias occupata impediti & excluſi ſumus. Petimus inde dilationem ad unum alterumque terminum Saxonicum, quo elapſo, ſi præter ſpem votumque, neutiquam contumaces, emanſerimus, ſaltem ad peremptoriam citationem tertiam, altero libello quoque inſtructi comparebimus, Deo vitam & valetudinem concedente.

Tu dein his utere, fruere, & ſi memineris, Alexandrum Magnum tanti feciſſe Homeri Poemata, ut eadem non modo maximi ciſtæ pretii unguentariæ incluſerit, ſed & nunquam niſi ſuper iſtis ſomnum ceperit, tu hæc demum otia Deum tibi feciſſe putato, ubi ETTMULLERI noſtri operibus non indormis ſegniter, ſed lucubrando alacriter invigilas, adque lampada hanc omne oleum conſumis, pectoris ſcrinio acerram iſtam conditurus. Quid? etiam ſecure indormias his per me, donec, quemadmodum glis ſteſtendo pingueſcit, & caput mortuum vitrioli aeri expoſitum rurſus graveſcit, aut vultures ex vento concipiunt, ita aurea ETTMULLERI dicta ſcriptave κατ' ὄναρ cerebrum tuum occupent & inebrient, ut ſurgens non vana ad conſulentes ſomnia & aniles circumforaneorum fabulas, ſed vel Galenico genio digna nuntiare queas.

Denique cum certò ſit certius, omne quidem tempus ferre Clodios, non item omne Catones, nobis gratulemur Machaonum fertile ſatis ſeculum noſtrum, Deumque ſupplices veneremur, ut quando Eliam præmaturo nobis fato eripuerit, Eliſas ſubornet, duplo ejus ſpiritu, aut pallio ſaltem inſtructos, quo palliati curas dent minime palliativas, tamque felices, ut vel putreſcente jam cadavere ſuo ipſos mortuos reſtituant. Eja auferat Dominus Cherubinum cum ferali gladio à foribus paradiſi tandem, ut quemadmodum antea de arbore ſcientiæ comedentes mortem voravimus, inventa tandem vitæ arbore in pomario Golgatheo, manum citius felicius admoveamus & fructum guſtantes vivamus in ſempiternum! Francof. ad Mœn. d. quo magnus mundi Medicus cardialgia laborantibus præſentiſſimos parabat Julepos Emaunti. 1696.

(o)

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0014-0 DFG